

jubet, atque portis obequitando hostem ad pugnam elicere, injectoque certamine, cedendo sensim ad insidiarum locum trahere. His vero haud multum a fluminis ripa progressis, Hieronymus speculatoria suorum manu fit obvius: reliquus equitatus, ordinibus instructus, non longe sequebatur: utrinque ad primum conspectum concursum. Sed barbari, vix bene conserto prælio, de industria cessere: cedentes viator fundit, præliumque detrectabundos infestis armis urget. **Hic** Hieronymi filius, juvenis impiger, omnium ferocissime barbarum premere: hunc fortiter pugnantem audax juvenum manus præsenti successu elata sequebantur. Ferre id ægre callidus senex, atque identidem clamitare, non esse temere instandum barbaro: scire se, eam gentem non nisi de industria tam leviter meditari fugam. Et quia in angustias locorum jam propemodum ventum erat, erantque omnia circumiecta loca suspicionis plena, jubet Novellus, dato signo, suos ab effuso cursu revocari. Tum barbarus versus in pugnam, prælium ferociter instaurat. Hieronymus primam sibi turmam subsidio adesse mandat; nam ex altera ripa fluminis jam hostium ala, ut suis opem ferret, tumultuose moverat. Barbarorum interim vis ingens in citeriore fluminis ripam evaserat. Redintegrata hic pugna, hostis ad Gramam usque (qui torrens per Pogoretanas valles præcipitatur) rejectus est. Dum vero hic totis viribus Venetus hostem premit, studetque præsenti prælio defungi, dato repente signo, ex Licinisi vertice, qui mons pugnantium capitibus ad lævam imminebat, barbarorum manus ex insidiis coorta, cum terrifico clamore & strepitu in subjectam turmam effunditur. Tantus pavor ad eam eruptionem Venetis injectus est, ut momento temporis diceres Venetos non eos esse, qui modo tam strenue pugnabant: sed ubi unam salutis spem in armis repositam videre, paululum cedere conati sunt, ut apertiore res loco gereretur: verum tam subita violentaque desuper impressio facta est, ut in arctissimum locum compulsi se prælio expedire nequirent. Interim ferox barbarus a fronte & a